



(0) D2/60-9-21. 61


COLL. REG. MED. LOND.
MDXVIII
O BIOC
TEXNH
ΒΡΑΧΥC Η
ΔΕ
ΜΑΚΡΗ
Alf. G. Downey. Del et Sculpt
London 1924



From the Author

DE CORPORE VIVO.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CORPORE VIVO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII

GULIELMI TAYLOR, S. S. T. P.

ET COLLEGII GLASGUENSIS PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

In Comitiis Academiæ Glasguensis,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS COULSON CARPENTER,

ANGLUS.

AD DIEM XIX MAII HORA LOCOQUE SOLITIS.

Nunquam aliud Natura, aliud Sapientia dicit.

JUV.



GLASGUÆ:

EXCUDEBAT ROBERTUS CHAPMAN,

PRO GULIELMO TAIT.

1813.

ROYAL COLLEGE OF PHYSICIANS
LIBRARY

CLASS	61
ACCN.	13272
SOURCE	
DATE	

VIRO REVERENDO

AMICO SUO SPECTATISSIMO,

ROBERTO HUNTER,

DE OKEFORD FITZPAINE,

IN COMITATU DORCENSI,

RECTORI;

HOC OPUSCULUM,

GRATI ANIMI ET AMICITIÆ

TESTIMONIUM SACRUM VOLUIT

AUCTOR.

VIRO GENEROSO,

SUIS DILECTO,

ALUMNIS HONORATISSIMO,

GEORGIO JARDINE,

IN ALMA HAC ACADEMIA

LOGICÆ PROFESSORI,

OB CONSILIA ET HOSPITIUM, SEMPER MEMORANDA,

HOC

DAT DICAT

AUCTOR.

Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, et magnam morbi deponere partem.

HOR.

LA physique, la chimie, etc. se touchent, parce que les même lois président à leurs phénomènes ; mais un immense intervalle les sépare de la science des corps organisés, parce qu' une énorme différence existe entre ces lois et celles de la vie.

BICHAT.

ON calcule le retour d' une comète, les résistances d' un fluide parcourant un canal inerte, la vitesse d' un projectile, &c. mais calculer avec Borelli la force d' un muscle, avec Keil la vitesse du sang, avec Jurine, Lavoisier, &c. la quantité d' air entrant dans le poumon, c' est bâtir sur un sable mouvant un édifice solide par lui-même, mais qui tombe bientôt faute de basse assurée.

IDEM.

DE CORPORE VIVO.



SECULA ætati nostræ proxima jam elapsa, scientiis maximèque memorata, rerum copiam ad artes rite perficiendas, inventaque mirifica, in lucem protulerunt. Scientia mathematica, assidue et magno studio pervestigata, celeriore et stabiliore gressu, quam Medicina, ad perfectionis metam appropinquavit. Materies exanimalis, legibus certis, formâ motuque prædita est; nec studiosorum manus fugere potest; neque in ambiguo est, ut laboris summa omnino probetur; hæc vera reperta, quasi fundamentum immobile, alia sustentarent; tum viri periti alia ei gradatim imponerent, dein ædifi-

cium nobile et perenne, in usum studiosorum, et naturæ spectatoris admirationem, constituerent; quod, quamdiu scientiæ desiderium perstabit, homines venerabuntur, et ab omni malo piè tuebuntur. Tanta fides in hujus scientiæ legibus, admiratione aliquos Medicos afficiebat; qui, labore magno et ingenio acri, ad vitæ phænomena elicienda, his legibus utebantur; sed hæ immutabiles sunt, illa mutata mutanda; enimvero ipsa Natura, quam investigare incumbebant, talem nuptum vetuit.

Non scientiis mathematicis solis, eodem tempore, res novæ et miræ repertæ fuerunt; iis, quæ ad Medicinam attinent, Viri docti theorias sapientiores plurima inventaque allaboraverunt; tamen equidem, artis nostræ me pudet, ut nobis confitendum sit, inventorum cognitio, non pari fructûs copiâ, arti Medendi profuisse; hujus paucitatis causas, unam duntaxat, hoc opusculo, in medium proferre conabor.

Figuram, et posituram, et partium varia-

rum corporis magnitudinem, dilucidè et accuratissimè, per molimina anatomica, Viri laboriosi et ingeniosissimi detexerunt. Solidarum et fluidarum partium qualitates nostris sensibus evidentes, et analysi operosâ editæ, clarè nobis Chemiâ patefactæ sunt; (scientiâ tot rebus novis auctâ, ut haud similis antiquæ jam habeatur) hâc quoque, in quibusdam partibus propriis, Medicamina vim medendi continent, etiamque quibus formulis, remedia optimè parantur. Per Botaniam novam, viâ breviore et tutiore, in vegetabilis regni thesaurum perducimur. Ab aliis scientiis, jam nunc maxime auctis et fructibus fœcundis, ars nostra auxilia plurima accepit. His rebus agendis, quanto, eodem tempore, ars medendi profuit? Non pari passu, plurimi in arte nostra peritissimi respondebunt. Sceptici, atque vel temeritati vel inertiæ obnoxii, palam Medicinæ artificiis manualibus divisæ, quasi deceptioni irrident; at de his tamen, hoc loco non sanè, (si utile esset) me dicere oportebit. Si æquum, artem medendi adhuc imperfectam esse, operæ pre-

tium est, ejus causam ostendere, et remedium (quoad possim) præscribere.

Multa, præcipuè in Physiologiâ, inter artes ad Medicinam pertinentes, studiosis præmia ampla proponunt; attamen reverà est propositum, ut ægri sani fierent, quod, unusquisque Medicinæ studio desudans, sibi persuadere debet; de usu justo igitur, scientiarum ad Medicinam pertinentium hodie explicatarum, non exquisitu indignum esse existimavi. Nonnullis Medicis prudentibus videtur, ut plurimi homines, nostra ætate, inventorum novitate et theoriæ nitore fugaci, sic percussi sint, ut eorum usum verum, ad gradum inferiorem admoverint; etiam, sub iisdem novis ut succumberet Medicinæ praxis, tentaverint; cùm ad dubia expedienda, et discrimina dijudicanda, atque ad experientiam et nostrorum antecessorum observationem firmandam vel corrigendam, hæc inventa usurpaverint.

Medicus in corpora viva sola officiis suis fungitur; sub exitum vitæ, adèo Medicinæ

labor terminat, aliquanto postea Anatomiæ, et Chemiæ incipit; quibus, constructionem, figuram, et partium plurium usus, jam mortuis experti lucide efferunt; atque procul dubio, cognitio consummatissima cadaveris est Medicinæ verum fundamentum; sine quâ, cæteræ scientiæ non fructum edere poterunt. Attamen quia Medici in vivis, non exanimis corporibus, arte suâ fungi vocantur, certè id corpus adhuc vivens ipsis intelligendum est.

De tentaminibus physiologicis in brutorum animalium corpora viva factis, hic disputare non me oportet; partium nonnullarum munera non aliter illustrari possunt; quamvis crudele existimetur, si unquam talia sine necessitate urgentissimâ repetita fuerint; Medici tamen, è virorum fidelium tentaminibus hoc modo perfunctis, actionum vitalium rebus cognitis multa adjicere potuerunt.

Corporis studium, quod, hoc opusculo, laudare, et cui Medicum urgere tentabo, est hominis viventis, tam sani quam ægroti. Num

hoc studium, recentiore ævo, Medicis multùm neglectum est? temerè responsum dare nolo; aliis de rê medicâ magis perfamiliaribus, atque magis eruditis, id concedo: sed si verum sit, solùm inter vulgus spero. Revera dicam, et maxime mihi profuit, quod ingeniosissimi et æstimati præceptores hujus venerati et eminentis Academiæ, iterum iterumque discipulos, ad hoc studium urgent.

Deinde, hoc tentamine, satis sit paucis verbis ostendere, ut medico auxilio forti sit, cum ille, nihilo minus quam animal, vel vitâ vel intelligentiâ præditum, hominem morbo perculsum aspiciat: etenim sine hoc auxilio, in ægro sanando, scientiis quanquam peritus habeatur, non aliter ac viator utcunque virilis agilisque, in tenebris vagabitur.

Celsus doctissimus inquit, "neque quic-"quam esse stultius, quam quale quid vivo "homine est, tale existimare esse moriente, "imo jam mortuo." Plurimi Philosophi, in quo vita constat, per omne ævum ostendere ten-

taverunt; singuli utcunque sapientes, et scientiæ et vocabulorum expertissimi, propositi certam definitionem nunquam exhibuere. Adeo clarum est, quanta differentia inter actiones vivi et examinis corporis permaneat; atque quantillum, legum cognitio amplissima, quibus materies iners constringitur, nobis de vitæ phænomenis ostendere possit.

Denuo, jam mortuus Homo similis est, materiæ circumjacenti, quæ nunquam vitæ vires possiderant; nisi eam mutationem, quam putridam Chemici nominant, eximere velles, quia corporum olim vitalium fructus est. Enimvero, ab ipsâ mutatione putridâ, fines à morte vitam separantes clarè distinguere possumus; nemo etiam nunc negabit, putredinem simul cum vitâ, in eodem corpore, vel saltem, corporis eâdem parte, non existere posse.

Quoniam omnes defecerint, etiamque nonnulli sese fefellerint, qui vitæ adyta lustrare tentaverunt: etiamque quo modo, "Divinam "particulam auræ," pulveri sordido Deus con-

junxit, nobis omnino ignotum est; ad propositum nostrum sufficiat, ut sciamus munera vivi corporis, quæ sensibus quotidie occurrunt.

Hoc opusculo (si tale possim) functiones vitæ, multo minus functiones intelligentiæ, ordine ponere, et usus et dotes ostendere, non tentabo. Hæ scientiæ, scilicet de animali aut vitâ, aut intellectu, prædito, longè, et propter singularum difficultatem et magnitudinem, justè separatæ fuerunt; quod hic urgere volo, est tam utile quam necesse, ut medicus, arte suâ optime fungi ambiens, diligenter studeret, quo modo, in sanitate, æquè ac in ægritudine, Homines iisdem functionibus excitati sint; etiamque cuidam diagnosi et prognosi formæ ipsæ mutabiles rectè intellectæ, Medicum ducant.

Multis tironibus, tanquam metaphysicum, et extra Medicinæ aulam, hoc studium existimatur; adeo, prima facie, se onus grave amisisse credunt; imo quidem quantum se fefelisse, videbitur, cùm arte suâ fungi proficiscantur.

Æger vocat, mirans medicus, responsa, pulsum, calorem, et ægri vultum, in nullo genere nosologico collocare potest; placendi cupidus, et beneficium agere desiderans, iterum morbum dignoscere tentat; sed pulsus, et calor, nunc plus minusve aucti vel diminuti, vultus minus vel magis tristis, et responsa, tono, spirituque altero reddita, Medicum insuper in ambiguum ferunt. Si vero morbus dignosceretur, atque remedia adhiberentur, evacuantia, stimulantia, vel alia, quæ promptè agere expectemus, quam sæpe tempus nos expectatione falli ostendit! Sin Medicus vivorum temperamenta mutabilia observaverit, nequaquam miratus fuisset; equidem, per res ipsas abnormes tamen, in diagnosin, et prognosin, et remedia, facilius adductus fuerit.

Non tantum mentis functionum studium hic laudare institui, sed etiam cujuscunque mutationis corpore vivo videndæ; scilicet, in cibi concoctione, sanguinis circuitu, respiratione, et variis secretionibus; mutationis atque

continuò observandæ, de vis gradu, qua à loco in locum moveamus.

Quocunque modo, "Divina particula aurræ," corpus agit, medico satis est, ejus effectus cognovisse, et per tentamina assidua, ejus facies in singulis ætatibus, temperamentis, negotiis, sub quodam cœlo degentibus, utroque sexu accuratissime dignovisse; et in mente sua condidisse; sicut, cum ægri vocent, primo intuitu, à sanitate aberrationem intelligat; atque per vultum, motum, loquelam, in uno vocabulo Gallis usitato, per *le tout ensemble*, diagnosin, et prognosin, atque hinc remedia, facile et feliciter pronunciare poterit.

Præterea, Chirurgum incumbere huic studio, necesse est, præcipue ætate nostrâ, quâ, Chirurgus sic arte suâ fungitur, ut fere plus in diagnosi, et prognosi, quam in remediis manualibus, ejus consilium ægri poscunt; quanto igitur, ad morbos dignoscendos animum suum dat, tanto, Corporis vivi studium ipsi auxilio habeatur.

Si scientiæ alicujus pretium, copiâ et magnitudine rerum necessariarum, ut in ea valde proficiamus, æstimari possit, studia summa profectò, de vitæ rationalis animalisque dotibus, plerisque aliis præstant: siquis enim eâ cognitione prorsus se imbuere vellet, imprimis opus est, ut ipsi Natura, oculi et sensuum aliorum perfectionem, simul etiam mentis aciem dederit.

In hoc tentamine, non possum efferre, singulis modis, quibus hæc peritia obtinenda sit; breviter de auxiliis igitur quibus hoc studium promoveatur; tum, de paucis morbis, et symptomatibus, quorum curatione, hæc cognitio præcipuè utilis sit; hic disseram.

Inter corpora viva, et mortua, partes carnosæ multò intersunt, vel formâ, vel duritie, vel mollitie, quamobrem siquis cadavere, sed non æquè vivo, perfamiliaris, quasdam partes vivorum molles, (scilicet guttur vel abdomen) exteriore tactu perscrutari tentaret; ergo, quod ipse in ambiguo multùm esset, non miraremur.

Intestinorum cordisque motus, atque respirationi partium inservientium, vivis solis inveniuntur. Quanti pretii in Medicinâ, eorum sana cognitio est, tiro scit. Enimvero quæ tantùm vivis inveniri, corporibus vivis solis contemplari possunt. Etiamque loquela et motus musculorum, et Sensus, in corporibus vivis solis videri possunt, ideò in his tantùm studeamus. Exinde, si bene, et clare in ægris, hæc decora, et vitæ tutamina perscrutemur, de eorum officiis in sanis, nos, multa cognoscere opus est.

Formæ exterioris lineas tenues, non sæpe, sub nostro cœlo, nobis opportunum est videre, ubi corporis partes majores teguntur; dum igitur, Medicus morbum localem perscrutatur, partes vicinas quamvis sanas, diligenter observare ipsum oportet; hôc, quotiescunque earundum partium morbis mederi vocatur, quanto illæ a sanitate aberrant, visu tactuque tanto clariùs intelliget. Multis medicis, intestinorum cordisque motus, et respirationi partium inservientium, ægrotantibus dilucidè explicati

sunt; multò melius hos intelligere poterimus, si rectè sciamus munera in vivis videnda; etiamque quantam oscillationem et mutationem, in ipsâ sanitate hæc pati possint.

Denuo, de motibus, quos voluntatis vi subjicimus, haud scio an eorum studium, magis aliquoquam in re medicâ, animo foveri debet. Motus articulorum bene intellecti, sæpe nobis morbi occulti sedem monstrabunt, dum symptomata multa, qualia dolor et rigiditas, ad alteram partem corporis sæpe medicum mittunt; ita morbi coxæ sedes, sæpissime in genu vel crure, posita fuit; sed Medicus artuum motu naturali peritus, atque bene sciens, quibus propriis musculis, et quodam incessu, æger progrediatur, facilè ad suam propriam sedem morbum sequitur. Item, quo modo, æger cubiculo resurgit, et decumbit; etiamque sedet, et ambulat; frequenter nobis, morbi varietatem, et tanquam genus demonstrabit; ideò operæ pretium est, nos studere Hominum motos singulos, quotiescunque opportunum sit, omni ætate, conditione, et utroque sexu.

Utpote loquela, et sensus externi ad intelligentiam appropinquent, sic etiam omnino tyronis intelligentiæ ope patefacienda sunt; maxime reverà mutabiles sunt, veruntamen ab ipsis mutationibus, plurimùm proficere Medicus possit. Quæ et quanta varietas iisdem dotibus, à metu, dolore, inediâ, cruditate, lassitudine, et mille aliis affectibus, dum Homo ægritudinis nihil patitur, diligenter signata esset; dumque ægrotat, inter vocis et sensuum affectus, quot reverà a suis propriis causis, quot ab ægri dolo, (ut ille aliquid celare possit) oriantur; quantò etiam mutentur temperamento, ætate, et sexu. His bene intellectis, sæpe, sedem et morbi causam, Medicus in lucem proferre potest.

His rebus perpensis, facile videbitur, ut hæc peritia non viâ regiâ patet, sed plurimis scientiis difficilibus obtinenda est, (quarum magna pars cum Medicinâ fraternitatem habet;) etiamque hominis observatione, in statibus variis, quibus, in hâc vitâ mutabili illum videmus.

Classis, a Culleno appellata Neuroses, plurima genera continet, quorum distinctio nosologica et curatio, corporis vivi cognitionem amplam poscunt. Multis morbis, inter classes alias eodem illustri Medico institutas, non, sine auxilio peritiæ hic laudatæ, citò et jucundè medeamur. Quis Pyrexiam certe dignoscere possit, nisi sciret, quantum incrementum caloris pulsûsque, ab aliis causis Homo sine febre patiatur? In Cachexiis, plurimi sunt obscuri, quales Atrophia, Hydrocephalus, et alii: hanc obscuritatem Medicus sæpe tolleret, si habitum, nunc depravatum, in sanis bene cognoverit. Inter Locales, quod supra de morbo coxæ dixi, hujus cognitionis necessitatem probavit.

Hypochondriasis est morbus, tam mutationibus fertilis, ut non alius unquam plus Medicorum sagacitatem exercuit. Sunt pauci morbi, quibus viscera interna sint molesta, quos Hypochondriacus imitari non videtur. Hypochondriasis a Sauvagesio definita est, "Mor-
"bus diuturnus quo affectus se in mortis peri-
"culo versari ex ructu, palpitatione, aliisque

"levidensibus malis, imaginatur." à Linnæo, "Imaginatio *fati lethalis* e levi malo, Borborygmi, Ructus acidi, Palpitationes, Præcordia "tremula, Persuasio." à Vogelio, "Anxietas "præcordialis cum spasmis ventriculi ac intestinorum, variisque congestionibus conjuncta, chronica." à Sagaro, "Est delirium "circa propriam valetudinem natum ex Philautia, salvo ratiocinio de reliquis, delirant "et desperant de sua valetudine recuperanda "ob ructus, borborigmos, palpitationes, tremorem præcordiorum, fugaces vertigines, "flatulentiam, &c. Hinc Hi persuasi fatum "lethale sibi imminere, omnia symptomata et "minimas mutationes in corpore suo scrupulose observant, narrant, et describunt medicis, suisque querulis, alios mox et alios "defatigant, ingenio cæterum et appetitu pollentes." à Culleno, "Dyspepsia cum languore, mæstitia, et metu, ex causis non "æquis, in temperamento melancholico." Siquis, ad has definitiones, uniuscujusque Hypochondriaci affectus conciliare tentaret, sæpè de vera diagnosi dubitaret. Si in uno ægro,

omnia symptomata in Sagari definitione enumerata, atque virorum præclarorum aliis verbis breviùs enunciata, videantur; Hypochondriasis sine dubio adest. At sæpissime, tantùm symptomatum pars, ægrum urgent, quare difficile est has mœstitias sublevare, nisi ad suas proprias causas, omnia præsentia adducere possimus.

Hoc morbo, æger morborum aliorum indicia, quæ vel e libris vel colloquio traxerit, sibi apponint, et Medico inexperto, sic quasi vera, et sua narrat, et describit, ut in ambiguo, de remediis animum facile ducat. Corporis partem nullam, hic morbus frequentiùs et duriùs urget, quam canalem intestinorum, scilicet, dolore, gravitatis sensu, acore, obstipatione, ardore, et inflatione, quæ inferat vertiginem, sensuum confusionem, stuporem, et animi inconstantiam, cum attentionis memoriæque defectione. Etiamque aliquando, spiritus fit non minus difficilis et angustus, quam in justo Asthmate. Quòd illa igitur, et multa alia, quæ hoc malo subinde gignuntur, sunt quo-

que aliorum morborum symptomata, qualium Hepatitis chronicæ, Tumorum intra abdomen, spirandi Affectuum, Colicæ, Obstructionum, Anginæ pectoris, &c. Etiam quòd sæpe unus vel alter eorundem morborum, simul cum Hypochondriasi urget; interdum etiamque ejus sequelæ sunt, ab actionibus abnormibus longe persistentibus editæ; cautissima diagnosis à Medico postulabitur.

Ut corporis et mentis munera, ab viis solitis pervagentur, historia sequens indicabit, quam Gulielmus Heberden pater narravit. "Vir circa trigesimum ætatis annum, sine "quavis manifesta causa, incidit in gravem "animi languorem, quocum diutius conflicta- "batur. Tandem, nescio qua judicii perver- "sitate motus, novacula arrepta, penem scro- "tumque sibi abscidit. Postquam vulnus sa- "natum esset, ipse ultro aiebat, maxime mirum "sibi videri, unde fieri potuisset, ut tam im- "mane facinus auderet, qui alias semper timi- "di fuerat ingenii, sic ut venam incidi non "mediocriter metueret, neque sine multa per-

"turbatione tantulum vulnusculum sustinere "posset: idem tamen ab omni metu liber fuit, "dum amputationem prædictam aggrederetur "doloris atque periculi plenam; quam porro, "ut ipse mihi fassus est, ne minime doloris "sensus secutus est."

Viri nonnulli, præcipue robusti et acres, ægrotantibus hoc morbo irrident; et sæpe truculenter insultant; abhinc palam videamus, quam incerta et fugacia ejus indicia sint. Attamen idem bonus Heberden ait, "Nescio "annon jure numeretur in maximis quas vita "habet miseriis:" Alio loco quoque inquit. "Quidam dolores hypochondriacorum et hy-"stericarum risu potius, quam misericordia "excipiunt, tanquam quos ipsi sibi fingunt "sine ratione. Verum in hac re longe errant. "Neque enim dubitare licet, quin hujus ægro-"tationis, perinde ac alterius cujuslibet, veræ "causæ subsint."

Quæ observationes porro de Hypochondriasi supra dictæ sunt, de Hysteriâ similes quo-

que prolatæ fuissent; non multis discrepant. In Hysteriâ functiones, quæ à physiologicis animales nominantur, præcipue perturbantur; altero morbo, quæ ab intelligentiæ dotibus oriuntur, errare videntur; viscerum internorum affectus, et eorum sequelæ, utrisque non valde dissimiles sunt. Quòd igitur, aliæ in fœminis, aliæ functiones in viris sint affectæ, profecto probabile esse credamus, quod idem Medicus illustris jam citatus dixit. "Ea quoque causa "esse potest, cur viri in hoc morbo crebrius, "quam fœminæ, eo insaniæ adigantur, ut ne-"cem sibi consciscant." Si, his observationibus paucis, quam mutabilia sunt indicia ægris, cum talibus malis veris vexatis, probè demonstraverim; exinde quidem, per tot artis nostræ auxilia, morbo nobis oppugnandum est. Ecquidem hôc certamine, actionum cognitio in viris videndarum habentibus mentem sanam in corpore sano, nobis præsidio valido est.

Medici doctissimi dixerunt, Podagram sine causâ certâ oriri; sæpe etiam, cum ventriculi, vel aliarum partium internarum affectionibus

alternare; etiamque ejus dolorem spontaneum esse. Sectio aliquorum corporum, quæ, per annos multos in vitâ, Podagra vexaverit, mali causam ullam nunquam nobis ostendat. Ita vero, hujus mali descriptio, à Poetâ ad vivum scripta, hodie vi æquali manet.

Οἴ μοι, παπαί γε, τείρομαι, διόλλυμαι,
Ἅπαν πέπαρμαι γυῖον ἀσκόπω κακῷ.

Hujus morbi experientiam aliquantulam habui; atque mihi videtur, ut revera ejus sedes est, in eâ corporis parte, (aliter loqui) eâ corporis dote, quam systema nervosum Medici quamplurimi designant. Multûm, Medicinæ Professor Doctus hujus Academiæ, in suis prælectionibus, ratiocinatione ab experientiâ et veris solis allata, meam observationem confirmavit. Quia post mortem in Cadavere, non systematis nervosi modi operandi vestigia ulla unquam percipere possumus, è vivis solis ejus dotes decerpamus, quarum cognitio, ad Podagram dignoscendam, et curandam, nos facilius adducat.

Denuo, mihi autem dicere liceat, ut inter Podagræ causas, Medicis mores et stamina semper enumerantur; nunc quo modo hæc sunt nobis optimè studenda. An cadaverum sectione? An fluidarum et partium solidarum analysi chemica? Utrùm etiam nervi quasi chordæ, an quasi canales liquorem transmittentes, sensum motumque dirigunt? Equidem eorum nihil, at solùm quo modo, staminis vis atque consuetudines, vivos viros afficere possint.

Ex his igitur, de Hypochondriasi, de Hysteriâ, et de Podagrâ dictis, clarum est, ut, morbos nervosos appellatos curando, studium vivorum, non sine magnâ injuria, à Medico prætermittatur.

Si in memoriam revocemus, morborum nonnulla Symptomata, in classe primâ Culleni, facilè credamus, ut non inconsideratè neurosia appellabimus; quorum symptomatum vera cognitio, ad morbum dignoscendum, et curandum, multùm juvat. Adeò pauló minùs in hac pri-

mâ classe, quam secundâ, vivi corporis studium necesse est.

Cachexiis quoque, si descriptionem, symptomata, et curationem bene cognoscere vellemus, prorsus hujus studii utilitatem videamus. Est definitio, "Totius vel magnæ partis corporis habitus depravatus," quamvis sæpe hæc depravatio facile sensibus externis distinguatur, verò inter genera, multos morbos enumerari videmus, quorum curationem si Medicus tentaverit, sine vivi cognitione, ille erit non arte suâ dignior, quam circumforanei sordidi, ætate nostrâ undique videndi.

Ex generibus hujus classis tertiæ, deinde aliqua eligemus, et brevi ostendemus, illa, æquè cum iis jam memoratis, Medici sapientiam postulare. In Atrophia, scilicet, et Tabe (quæ a priore in febris hecticæ gradu tantùm discrepat,) quis veram causam dignoscere poterit, si inscius sit, quoquomodo cibus, cœlum, negotium, consuetudines (momenti magni,) et affectiones (momenti majoris,) vivos afficiant?

Sæpe nimirum, ab eorum abnormi usu Tabes gignitur, et in diuturnitate aliquando fere inexplicabili perstat; Medicus eadem non bene intelligens sæpe ægrum remediis ineptis urget; exinde, morbus non tantum diu perduret, interdum etiam, incongruentibus enervatus, Tabidus succumbit. At si Medicus causam veram tempestivè percepisset, malum duntaxat sublevare potuisset; etiamque subinde, causa ablatâ, haud ita multo post morbus fugisset.

Quisnam morbus magis Medicinæ opprobrium habetur, quàm Hydrocephalus? quia cùm indicia ejus vera adsint, tum instanter curandi spes fugit; quamobrem, siquis hunc morbum curandi spem sibi proponat, opus est, ut acri sagacitate prorsus perscrutaretur indicia adhuc incertitudine celata, et aliorum morborum simulantia. Est aliquis tam acutus, ut sine cognitione ulla de notis cerebri sani, et de intestinorum vitiis singulis, certe, et bonâ fide, Hydrocephalum venientem dignoscere et occurrere possit? Si vero non: necessitas medicum urget, ut non opportunitatem

ullam unquam præterire sineret, quâ, cerebri munera, in iis ætatem teneram agentibus, cognoscere possit; mihi videtur, ut solùm studiis talibus, hunc morbum tristissimum sublevare unquam speremus.

Sunt morbi pauci, quibus tam difficile est diagnosin adjudicare, quam Scrofulâ. Causa proxima latet. Sequentes sunt inter causas evidentes, scilicet, frigus, et mutationibus subitis cœlum obnoxium, et alimenta minime idonea, et domi situs insalubris; etiamque non infrequenter, in hunc morbum incidendi propensio, ab parentum temperamentis trahatur; quamobrem, si facile et feliciter, malum immundum curare tentaremus, revera nos oportet, à sanitate aberrationibus studuisse, quæ subinde, cibo, frigore, cœlo, domibus, atque prosapiâ, oriri videamus. In hoc morbo quoque ægri, æque ac ejus cognatorum, animi tranquillitatem diagnosis afficit. Malo alio nullo, inter tot quæ homines affligunt, prudentia maxima et cautissima, tam multò medicum adjuvat, quoniam non ægros solos, at etiam cog-

natos adhuc sanos judicat. Nobilissimus Cicero ait "Temeritas est florentis ætatis, pru-"dentia senescentis" hôc clarè docuit, multa observavisse nobis opus esse, si inter prudentes habeamur.

Cachexiis morbum unum enumeramus, quum præterire, mihi ineptum esse videtur. Utrum propter magnitudinem, an ætate nostrâ, ejus freuqentiam, equidem e studio diligentissimo, auxilium Syphilis implorat. E quavis origine ad nos adveniebat, hoc certum est, cum moribus intimè affinitatem habet. Quanquam Hydrargyro quasi specifico omnes Medici ad Syphilidem oppugnandum utuntur; tamen vel ex ægri habitu, vel quocunque modo virus ipsum percusserit, hujus remedii effectus, subinde in ambiguo est. Quòd hæc incertitudo, à variis temperamentis, et vivorum consuetudinibus oriatur, non sine eorum summâ cognitione, hoc specifico sanè et honestè uti possumus. Experientia tantula nos docet, ut quantitas Hydrargyri ab ægro devoretur, major quam sæpe satis sit ad virus delendum, sed

hostis non solùm sedem suam firmè retinuit, sed etiam interdum progressum lethalem non intermisit. Hydrargyrus tempestive usus, rarò curandi spem frustrat; enimvero hujus remedii usus inconsultus, vel sine temperamenti cognitione, vel sine disciplinâ, sæpe, et fere indies, viros robustos et firmos periculo imminenti objicit.

Denuo, non pauculum adjiciatur pœnarum moli, quæ Syphiliticis imminet, ut clàm æger venenatus remedium exquirat; morbo celato percussus et celandi desiderans ad aliquem circumforaneum currit. Si Natura cum morbo, tum artificis errore, certare non possit; miser medicamentis ineptis et vi Syphilidis subactus, eò perfugit, quò morbo veniente adire debet. De his sunt syphiliticorum pars major, in quibus curandis, symptomata diuturna et dubia; Medicus toties videt; enimvero, de his quoque sunt multi, qui morbo, à Medicis recentioribus, Pseudo-Syphilide appellato, diu ægrotant. Siquando sapientia suâ Medicus in auxilium

egeat, jam vero tempus est. Idem medicamentum, prout morbum præsentem Medicus dijudicaverit, ægri amicus vel hostis crudelis sit. Siquis ex hoc labyrintho, tutò et jucundè evenire vellet, laborem sublevaret, corporum vivorum munera profundè studuisse.

Non solùm hic, de Pseudo-Syphilidis indiciis, quæ nimis sæpe in nosocomiis videntur; qualia sunt Ulcera Phagædenica et Bubones maligni; sed de doloribus vagis, tumidis et aliquando ulceratis tonsillis, impetiginibus, et exostosi, quorum nonnulla, post multos annos matrimonii vinculo, honore et bonâ fide præteritos, subinde maritum affligunt, nihil dubitantem, sed priusquam uxorem duxisset, prorsus virus remediis justis absumptum fuisse. Non ideo Medicus corpori soli, at etiam menti amicus sit; atque prolem insontem, ab hereditarii veneni metu et pudore, eripere possit. Altera vice, si vir Syphilide verâ ægrotet, tempestivus et eruditus remedii percogniti usus, sæpissime (si non semper) ægrum sanabit.

Non pauca genera quartæ classis Culleni, hanc sagacitatem requirunt, ut omnia, quæ a sensuum et genitalium affectibus, appellationes suas trahunt.

"Non dubitabo" inquit Præstantissimus Celsus "auctoritate antiquorum virorum uti, "maximeque Hippocratis; cum recentiores "quoque medici, quamvis quædam in curati-"onibus mutaverint, tamen hæc illum optime "præsagisse fateantur" cuidam doti in patris nostri animo, hanc præsagiendi facultatem, omnibus maxime laudatam imputemus? Imo quidem ei veræ sapientiæ in re medica, nempe corporis vivi cognitioni. Quandoquidem, quanto Medici Nobilem Hippocratem sequuntur, tanto ad similes honore sevadant, quam-"vis quædam in curationibus mutaverint."

Si ægrotantibus, ut vivorum dotes Medicus intelligeret, momenti magni sit; non minus Medico ipsi prosit. Cognitionem prorsus obtinere necesse est, ut scientias, Medicinæ

affines, discere diligenter ambiat; etiam cognitionem sanam et acutam, rerum humanarum suis oculis conspectarum, colligere debeat. Enimvero nec in iracundiam, et præcipitationem ruere, nec in oscitationem et desidiam se labi sineret; neque commessationibus, multo minus ebrietate, ingluvie, otioque nimio, mentis aciem obtunderet.

Medico præferendum est, divitias augere, honestis et eruditis nixibus, potius quam consuetudinibus vulgi subserviendo. Homines non infrequenter, sordido circumforaneo præmium dare volunt; et sæpius ignorantiâ curiosâ et inverecundâ, quam peritiâ eruditâ vulgus captatur; sordidi laus tamen fugax et instabilis est, honesti et eruditi Medici, quamvis sæpe tarda, sed certior, firmior, et magis expetenda.

Medicus scientiâ verâ præditus, Anatomiâ, Chemiâ, et Botaniâ expertus, atque vivi corporis dotibus perfamiliaris, ad gradum laude

dignissimum accedere poterit, quo Gulielmus filius, Gulielmi celebris Heberden, in sua oratione Harveiana luculenta, Warrenum posuit, jam tunc nuper mortuum. Non, Gulielmi eruditi verba, nunc mihi occurrunt; quocirca multum mœreo, quoniam in eâ oratione, puris et electis verbis compositâ, Warrenum laudando, tantum Medicum delineavit, quem hoc meo opusculo laudare tentavi. De Warreno, multis bonis flebili, inter munera alia pluria dixit orator, quòd sæpissime, cum prope ægrotantis cubiculum sedisset, brevi quasi intuitu, ejus statum cognovisset; etiamque quantocunque periculo, vel mœstitiâ, æger sit molestus, medici discessu, corporis mentisque magnam levationem sensisset.

Medicus tantus, mihi videtur, sine corporis vivi experientiâ, non fieri potest; atque nisi semper in memoria habeat, hominem vel ægrotum vel sanum dotibus, cum ad vitam, tum ad intelligentiam, pertinentibus præditum esse. His bene cognitis, sane ad eandem sapientiam, in

singulos morbos curando, evadere tentemus, quam Celsus illustris, de vulneribus loquens, laudat, "quæ insanabilia sint et quæ difficilem "curationem habeant, quæ promptiorem." Certe, Medicinam honoribus amplificare non possumus, nisi munus investigemus, quod, in cœlum ab humo, os hominis attollit.

FINIS.

